

» meum sicut cibum panis<sup>1</sup> : » id est, quotidie. Cibum enim panis, quotidianus est. Devorant autem populum, qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suum ad gloriam Dei, et ad eorum, quibus præsumunt, salutem.

VI. « Dominum non invocaverunt. » Non enim vere hunc invocant, qui ea desiderat, quæ displicent. « Illic » trepidaverunt timore, ubi non erat timor<sup>2</sup> : id est, damno rerum temporalium. Dixerunt enim : « Si relin- » quamus eum sic, credent in eum omnes, et venient » Romani, et tollent nobis et locum et gentem<sup>3</sup>. » Timuerunt regnum terrenum amittere, ubi non erat timor : et amiserunt regnum cœlorum, quod timere debuerant. Et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum est, quorum amissionem cum timent homines, ad æterna non veniunt.

VII. « Quoniam Deus in generatione justa est<sup>4</sup> : » id est, non est in eis qui diligunt sæculum. Injustum est enim relinquere sæculorum Conditorum, et diligere sæculum, servire creaturæ potius quam Creatori<sup>5</sup>. « Consi- » lium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus » est<sup>6</sup> : » id est, contempsistis humilem adventum Filii Dei, quia in eo non vidistis pompam sæculi : ut hi, quos vocabat, in Deo solo spem ponerent, non in rebus transeuntibus.

VIII. « Quis dabit ex Sion salutare Israël ? » Subauditur, nisi ipse cujus humilitatem contempsistis? Ipse enim in claritate venturus est ad iudicium vivorum et mortuorum, regnumque justorum : ut quoniam isto humili adventu facta est cæcitas ex parte Israël, ut plenitudo gentium intraret<sup>8</sup>, in illo alio fiat quod sequitur, et sic

<sup>1</sup> Psal. xiii, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 5. <sup>3</sup> Joan. xi, 48. — <sup>4</sup> Psal. xiii, 6. — <sup>5</sup> Rom. 1, 25. — <sup>6</sup> Psal. xiii, 6. — <sup>7</sup> Ibid. 7. — <sup>8</sup> Rom. xi, 25.

omnis Israël salvus fieret. Pro Judæis enim Apostolus etiam illud Isaïæ testimonium accipit, quod dictum est : « Veniet ex Sion qui avertat impietatem ab Jacob<sup>1</sup> : » sicut hic positum est : « Quis dabit ex Sion salutare Israël ? » Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israël<sup>2</sup>. » Repetitio est, sicut solet. Nam idem puto esse « Lætabitur Israël, » quod est, « Exultabit Jacob. »

---

## ENARRATIO

### IN PSALMUM XIV.

Psalmus ipsi David<sup>3</sup>.

I. DE hoc titulo nulla quæstio est. « Domine, quis peregrinabitur in tabernaculo tuo<sup>4</sup> ? » Quanquam aliquando ponatur tabernaculum etiam pro habitatione sempiterna : tamen cum proprie accipitur tabernaculum, belli res est. Unde et contubernaes milites dicuntur, tanquam simul habentes tabernacula. Hic sensus adjuvatur ex eo quod dictum est, « Quis peregrinabitur ? » Ad tempus enim cum diabolo dimicamus ; et tunc opus est tabernaculo, quo nos reficiamus. Quod significat maxime fidem temporalis dispensationis, quæ pro nobis facta est temporaliter per incarnationem Domini. « Et quis requiescet in monte » sancto tuo<sup>5</sup> ? » Hic fortasse jam ipsam æternam habitationem significat, ut montem intelligamus supereminentiam charitatis Christi in vita æterna.

<sup>1</sup> Isaï. lxx, 20. — <sup>2</sup> Psal. xiii, 7. — <sup>3</sup> Id. xiv, 1. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> Ibid.

II. « Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam<sup>1</sup>. » Hic proposuit, deinceps id exequitur.

III. « Qui loquitur veritatem in corde suo<sup>2</sup>. » Nonnulli enim in labiis habent veritatem, et in corde non habent. Tanquam si aliquis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, et dicat: « Si hac ieris, a latronibus tutus eris: » et contingat ut vere non ibi latrones inveniantur; verum ille locutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, et nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. « Qui non egit » dolum in lingua sua. » Lingua agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. « Nec fecit proximo » suo malum. » Proximum omnem hominem accipi oportere notum est. « Et opprobrium non accepit adversus proximum suum<sup>3</sup>: » id est, non libenter aut temere credit criminatori.

IV. « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus<sup>4</sup>. » Ista perfectio est, ut nihil in hominem valeat malignus; et ut hoc sit « In conspectu ejus, » id est, certissime noverit malignum non esse, nisi cum animus a specie sui Creatoris æterna et incommutabili ad creaturæ speciem avertitur, quæ de nihilo facta est. « Timentes autem Dominum glorificat: » utique ipse Dominus: « Initium autem sapientiæ timor Domini<sup>5</sup>. » Sicut ergo illa superiora pertinent ad perfectos, ita ea quæ nunc dicturus est, pertinent ad incipientes.

V. « Qui jurat proximo suo, et non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes non accepit<sup>6</sup>. » Ista non sunt magna: sed qui nec ista potest, multo minus potest loqui veritatem in corde suo, et non dolum in lingua sua, sed ut est in corde

<sup>1</sup> Psal. xiv, 2. — <sup>2</sup> Ibid. 3. — <sup>3</sup> Ibid. — <sup>4</sup> Ibid. 4. — <sup>5</sup> Id. cx, 10, et Eccli 1, 16. — <sup>6</sup> Psal. xiv, 4, 5.

verum, ita proferre et habere in ore: « Est est, est: Non » non<sup>1</sup>; » et non facere proximo suo malum, id est, nulli homini; et opprobrium non accipere adversus proximum suum: quæ sunt perfectorum, in quorum conspectu ad nihilum deductus est malignus. Tamen etiam ista minora ita concludit: « Qui facit hæc, non commovebitur in » æternum: » id est, perveniet ad illa majora, in quibus est magna et inconcussa stabilitas. Nam et ipsa tempora non sine causa fortasse sic variata sunt, ut in superiore conclusione præteritum tempus poneretur, in hac autem futurum. Nam ibi dictum est: « Ad nihilum deductus » est in conspectu ejus malignus: » hic autem, « Non » commovebitur in æternum. »

## ENARRATIO

### IN PSALMUM XV.

Tituli inscriptio, ipsi David<sup>2</sup>.

I. REX noster in hoc Psalmo loquitur ex persona suspensionis humanæ, de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus eminuit.

II. Dicit autem hæc: « Conserva me, Domine, quoniam in te speravi: dixi Domino: Deus meus es tu, » quoniam honorum meorum non eges<sup>3</sup>: » quoniam bonis meis non expectas tu fieri beatus.

III. « Sanctis qui sunt in terra ejus<sup>4</sup>: » sanctis qui in terra viventium spem suam posuerunt, civibus Jerusalem coelestis, quorum conversatio spiritalis per ancoram spei

<sup>1</sup> Math. v, 37. — <sup>2</sup> Psal. xv, 1. — <sup>3</sup> Ibid. 2. — <sup>4</sup> Ibid. 3.

in illa patria figitur, quæ recte Dei terra nominatur; quamvis adhuc et in his terris carne versentur. « Mirificavit omnes voluntates meas in illis<sup>1</sup>. » His ergo sanctis miras fecit omnes voluntates meas in propectu eorum, quo senserunt quid eis profuerit et humanitas meæ Divinitatis ut morerer, et Divinitas humanitatis ut resurgerem.

IV. « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : » non ad perniciem, sed ut medicum desiderarent. « Postea accesserunt. » Itaque post multiplicatas infirmitates acceleraverunt, ut sanarentur. « Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus<sup>2</sup>. » Erunt enim conventicula eorum non carnalia, nec de sanguinibus pecorum propitiatus congregabo eos. « Nec memor ero nominum illorum per labia mea. » Sed spiritali mutatione obliviscuntur quid fuerint : nec a me jam vel peccatores, vel inimici, vel homines; sed justi et fratres mei et filii Dei vocabuntur per pacem meam.

V. « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei<sup>3</sup>. » Possidebunt enim mecum hæreditatem, ipsum Dominum. Eligant sibi alii partes quibus fruuntur, terrenas et temporales : portio sanctorum Dominus æternus est. Bibant alii mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus est. Quod dico, « mei, » adjungo Ecclesiam : quia ubi caput, ibi et corpus. Nam in hæreditatem congregabo conventicula eorum, et per calicis ebrietatem obliviscar nomina vetera eorum. « Tu es qui restitues mihi hæreditatem meam<sup>4</sup> : » ut nota sit et his quos libero, claritas qua eram apud te, prius quam mundus fieret<sup>5</sup>. Non enim restitues mihi quod non amisi, sed restitues his qui amiserunt ejus claritatis notitiam : in quibus quia ego sum, « Mihi restitues. »

<sup>1</sup> Psal. xv, 3. — <sup>2</sup> Ibid. 4. — <sup>3</sup> Ibid. 5. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> Joan. xvii, 5.

VI. « Funes ceciderunt mihi in præclaris<sup>1</sup>. » Limites possessionis meæ in tua claritate, tanquam sorte ceciderunt, velut possessio Sacerdotum et Levitarum Deus est. « Etenim hæreditas mea præclara est mihi<sup>2</sup>. » Etenim hæreditas mea præclara est, non omnibus, sed videntibus : in quibus quia ego sum, « Mihi est. »

VII. « Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectum<sup>3</sup> : » quo ista hæreditas videri et possideri potest. « Insuper autem et usque ad noctem emendaverunt me renes mei<sup>4</sup>. » Super intellectum autem usque ad mortem me erudit inferior pars mea, carnis assumptio : ut experirer tenebras mortalitatis, quas ille intellectus non habet.

VIII. « Providebam Dominum in conspectu meo semper<sup>5</sup>. » Sed veniens in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet, hoc providens, ut in eum post temporalia peracta recurrerem. « Quoniam a dextris est mihi, ne commovear. » Quoniam favet mihi, ut stabiliter in eo permaneam.

IX. « Propter hoc jocundatum est cor meum, et exultavit lingua mea<sup>6</sup>. » Propter hoc et in cogitationibus meis jocunditas, et in verbis exultatio. « Insuper et caro mea requiescet in spe. » Insuper et caro mea non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet.

X. « Quoniam non derelinques animam meam in inferno<sup>7</sup>. » Quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis. « Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Neque sanctificatum corpus, per quod et alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. « Notas mihi fecisti vias vitæ. » Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceci-

<sup>1</sup> Psal. xv, 6. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Ibid. 7. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> Ibid. 8. — <sup>6</sup> Ibid. 9. — <sup>7</sup> Ibid. 10.

derant : in quibus quia ego sum, « Mihi fecisti. Adimple- » bis me lætitia cum vultu tuo. » Adimplebis eos lætitia, ut non ultra quærant aliquid, cum facie ad faciem te viderint : » in quibus quia ego sum, « Me adimplebis. De- » lectatio in dextera tua usque in finem<sup>1</sup>. » Delectatio est in favore et in propitiatione tua in hujus vitæ itinere, perducens usque ad finem gloriæ conspectus tui.

### ENARRATIO

#### IN PSALMUM XVI.

Oratio ipsi David<sup>2</sup>.

I. Hæc est personæ Domini tribuenda, adjuncta Ecclesia, quæ corpus ejus est.

II. « Exaudi Deus justitiam meam, intende deprecationi meæ. Auribus percipe orationem meam, non in » labiis dolosis<sup>3</sup> : » non ad te in labiis dolosis procedentem. » A vultu tuo iudicium meum prodeat<sup>4</sup>. » Ex illuminatione notitiæ tuæ verum iudicem. Aut certe, non in labiis dolosis, a vultu tuo iudicium meum prodeat, ut scilicet non proferam iudicans aliud quam in te intelligo. « Oculi » mei videant æquitatem : cordis utique oculi.

III. « Probasti cor meum et visitasti nocte. » Quia ipsum cor meum visitatione tribulationis probatum est. « Igne » me examinasti, et non est inventa in me iniquitas<sup>5</sup>. » Non autem nox tantum, quia perturbare assolet, sed etiam ignis quia urit, vocanda est ipsa tribulatio, qua examinatus, justus inventus sum.

<sup>1</sup> Psal. xv, 11. — <sup>2</sup> Id. xvi, 1. — <sup>3</sup> Ibid. — <sup>4</sup> Ibid. 2. — <sup>5</sup> Ibid. 3.

IV. « Ut non loquatur os meum opera hominum<sup>1</sup>. » Ut aliud non procedat ex ore meo, quam id quod pertinet ad gloriam et laudem tuam : non ad opera hominum, quæ faciunt præter voluntatem tuam. « Propter verba labiorum tuorum. » Propter verba pacis tuæ, vel Prophetarum tuorum. « Ego custodivi vias duras. » Ego custodivi vias laboriosas mortalitatis humanæ atque passionis.

V. « Ad perficiendos gressus meos in semitis tuis<sup>2</sup>. » Ut perficeretur charitas Ecclesiæ in itineribus angustis, quibus venit ad requiem tuam. Ut non moveantur vestigia mea. » Ut non moveantur signa itineris mei, quæ tanquam vestigia Sacramentis et Scripturis apostolicis impressa sunt, quæ intueantur et observent qui me sequi volunt. Aut certe, ut etiam stabiliter in æternitate permaneam posteaquam peregi vias duras, et in angustiis semitarum tuarum gressus perfeci.

VI. « Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus<sup>3</sup>. » Ego libera et valida intentione preces ad te direxi : quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem. « Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea<sup>4</sup>. » Non deserat exauditio tua humilitatem meam.

VII. « Mirifica misericordias tuas<sup>5</sup>. » Non vilescant misericordiæ tuæ, ne minus amentur.

VIII. « Qui salvos facis sperantes in te, a resistentibus » dextræ tuæ : » a resistentibus favori, quo mihi faves. « Custodi me, Domine, ut pupillam oculi<sup>6</sup> : » quæ apparet per parva et exigua : per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux et tenebræ dijudicantur, sicut per Christi humanitatem Divinitas iudicii discernens inter justos et peccatores. « In tegmine alarum tuarum protege me. »

<sup>1</sup> Psal. xvi, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 5. — <sup>3</sup> Ibid. 6. — <sup>4</sup> Ibid. — <sup>5</sup> Ibid. 7. — <sup>6</sup> Ibid. 8.

In munimento charitatis et misericordiæ tuæ protege me.  
« A facie impiorum qui me affligerunt<sup>1</sup>. »

IX. « Inimici mei animam meam circumdederunt, ad-  
» pem suum concluderunt<sup>2</sup>. » Lætitia sua pingui cooperti  
sunt, posteaquam cupiditas eorum de scelere satiata est.  
« Os eorum locutum est superbiam. » Et propterea os eo-  
rum locutum est superbiam, dicendo : « Ave, rex Judæo-  
» rum<sup>3</sup>, » et cætera talia.

X. « Projicientes me nunc circumdederunt me. » Proji-  
cientes me extra civitatem, nunc circumdederunt me in  
cruce. « Oculos suos statuerunt declinare in terram<sup>4</sup>. »  
Intentionem cordis sui statuerunt declinare in ista ter-  
rena : putantes magnum malum perpeti eum qui occide-  
batur, et se nullum qui occidebant.

XI. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam<sup>5</sup>. »  
Susceperunt me sicut ille adversarius circumiens, quærens  
quem devoret<sup>6</sup>. « Et sicut catulus leonis habitans in oc-  
» cultis. » Et sicut catulus ejus, populus cui dictum est :  
« Vos ex patre diabolo estis<sup>7</sup> : » cogitans de insidiis quibus  
justum circumveniret et perderet.

XII. « Exurge, Domine, præveni eos, et subverte  
» eos<sup>8</sup>. » Exurge, Domine, quem dormire arbitrantur,  
et iniquitates hominum non curare : ante excæcentur  
malitia sua, ut factum eorum vindicta præveniat, et ita  
subverte eos.

XIII. « Erue animam meam ab impiis. » Erue animam  
meam resuscitando me a morte, quæ mihi ab impiis irro-  
gata est. « Frameam tuam ab inimicis manus tuæ<sup>9</sup>. »  
Anima enim mea framea tua est, quam assumpsit manus  
tua, id est, æterna virtus tua, ut per ipsam regna debellet

<sup>1</sup> Psal. xvi, 9. — <sup>2</sup> Ibid. 10. — <sup>3</sup> Matth. xxvii, 29. — <sup>4</sup> Psal. xvi, 11.  
— <sup>5</sup> Ibid. 12. — <sup>6</sup> 1 Petr. v, 8. — <sup>7</sup> Joan. viii, 44. — <sup>8</sup> Psal. xvi, 13. —  
9 Ibid. 14.

iniquitatis, et dividat justos ab impiis. Hanc ergo « Erue  
» ab inimicis manus tuæ, » hoc est, virtutis tuæ, hoc est,  
ab inimicis meis. « Domine, perdens de terra, dispertire  
» eos in vita eorum<sup>1</sup>. » Domine, perdens eos de terra,  
quam inhabitant, dispertire eos per orbem terrarum in  
ista vita, quam solam suam vitam putant, qui æternam  
desperant. « Et de absconditis tuis adimpletus est venter  
» eorum<sup>2</sup>. » Non solum autem ista poena eos consequetur  
visibilis, sed etiam de peccatis, quæ tanquam tenebræ  
absconduntur a lumine veritatis tuæ, adimpleta est me-  
moriam eorum, ut obliviscantur Deum. « Saturati sunt  
» porcina. » Saturati sunt immunditia, conculcantes mar-  
garitas sermonum Dei. « Et reliquerunt reliquias parvulis  
» suis<sup>3</sup>, » clamantes : « Peccatum hoc super nos et super  
» filios nostros<sup>4</sup>. »

XIV. « Ego autem in tua justitia apparebo in conspectu  
» tuo<sup>5</sup>. » Ego autem qui non apparui eis, qui corde sor-  
dido et tenebroso lucem sapientiæ videre non possunt, in  
tua justitia apparebo in conspectu tuo. « Satiabor dum  
» manifestabitur gloria tua. Et cum illi saturati sunt im-  
munditia sua, ut me intelligere non possint, ego satiabor  
dum manifestabitur gloria tua, in his qui me intelligunt.  
Sane in illo versu ubi dictum est : « Saturati sunt porcina, »  
nonnulla exemplaria, « Saturati sunt filiis, » habent (9). Ex  
ambiguo enim græco interpretatio duplex evenit. Filios  
autem, opera intelligimus; et sicut bona opera bonos filios,  
ita malos mala.

<sup>1</sup> Psal. xvi, 14. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Ibid. — <sup>4</sup> Matth. xxvii, 25. — <sup>5</sup> Psal.  
xvi, 15.